



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXXVI. De Communione Paschali puerorum, semifatuorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXXVI.

### De Communione Paschali puerorum semifatuorum.

**Q**uidam R. D. Parochus, cum multos pueros, & puellas, insuper quosdam fatuos, energumenos enumeraret; appropinquaret etiam tempus Paschale, quo omnes fideles ad Communionem Paschalem obligantur.

Quærit, an, & quando prædictæ personæ ad sacram Communionem obligatæ, vel admittendæ sint?

### Synopsis.

#### §. I.

*Quandonam pueris sacra Synaxis sit danda?*

1. Afferuntur duo fundamenta, in resolutione hac observanda.
2. Videtur nullus textus in Jure

aut Tridentino reperibilis dispensationem S. Evcharistiæ talibus personis prohibens.

3. Quid sub nomine discretionis in cap. *cum utriusque sexûs* intelligatur?
4. Pro pueris septennium completum numerantibus nulla certa regula præscribi in hoc poterit.
5. Licet pueri sacrum hunc Cibum ab alio naturali sufficienter discernere valeant, extra tamen articulum mortis ad sumendam Evcharistiam non sunt obligati, & hinc neque Parochi.
6. Usu rationis ad confitendum sufficienter præditi non eo ipso statim ad S. Communionem sunt admittendi.
7. Non obstante, quod dispositio ad confitendum videatur difficilior,

D d d 3

8. Aut,

8. Aut, quòd hunc cibum ab alio naturali possint discernere.
9. Probabiliter etiam ante decimum annum permitti sacra Communio pueris poterit, qui ita sunt instructi, ac communiter sunt decem annos nati.
10. Pueris peccare potentibus in articulo & periculo mortis sacrum Viaticum non denegandum, sed etiam porrigendum.
11. Etiam si, ut sacram Evcharistiam extra articulum & periculum mortis recipere teneantur, sufficientem discretionem non habeant.
12. Non admittendo ad sacrã Communionem ejusmodi pueros Ecclesia non excludit à præcepto Divino ad Communionem obligante.
13. Usus rationis habentes pueri ad accipiendam sacram Synaxin in articulo mortis determinatè obligantur, indeterminatè autem pro tempore ab Ecclesia determinato extra illum.
14. Viatici in periculo mortis susceptionè ipse Christus determinavit relinquendo Ecclesiæ determinationè temporis, quo extra illum illa sumi debeat.
- §. II.
- An semifatuis, nec non energumenis seu à demone possessis Paschalis Communio sit præbenda?*
15. Semifatui in duplici classe dantur.
16. Etiam tempore Paschali Evcharistia est deneganda semifatuis, qui hunc supernaturalem à naturali cibo discernere nequeunt.
17. Quæ tamen concedenda fatuis hunc à naturali cibo distinguere valentibus, non autem extra Pascha.
18. In quonam tales fatui à pueris differant.
19. Energumenis rationis usu destitutis tempore Paschali Evcharistia est deneganda.
20. Bene autem, si sui compotes sunt, & periculum irreverentiæ absit.
21. Ad eandem tempore Paschali sunt admittendi surdi & muti à nativitate, si ex eo-

eorum nutibus judicari possit, eos hunc à naturali cibo distinguere.

22. Nec obstat, quòd forsitan in peccato mortali sint constituti.

§. III.

*An pueris in periculo mortis constitutis, Viaticum dari possit, aut debeat, si de illorum capacitate dubitetur.*

23. Stante tali dubio non datur ad illam dandam obligatio.  
24. Interea tamen dari eisdem poterit.  
25. Non datur prohibitio, ne detur Evcharistia, nisi iis, qui sunt doli capaces, sed ne iis, qui non sunt doli capaces.  
26. & 27. Duorum præceptorū diversus sensus explicatur.  
28. Ut detur puero S. Evcharistia, sufficit, quòd non constet illum esse doli incapax.  
29. Quandonam ratio capacitatis in hoc puncto sit habenda.  
30. Præceptum jejunii differt à præcepto dandi Viaticum.  
31. Cur dubitans de statu gra-

tia accipere sacram Evcharistiam nequeat?

32. Sacramenta etiam in dubio de suo effectu subinde applicari possunt.  
33. Num dubius de suo jejunio naturali S. Evcharistiam possit accipere.

§. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*An, & quando pueris & puellis S. Evcharistia sit concedenda, vel ex obligatione sumenda?*

**U**T hæc controversia decidatur, duo fundamenta præ oculis habenda; Primum, quòd Ecclesia prohibuerit de facto, ne Evcharistia detur pueris ante discretionis ætatem; atque incapacibus: Alterum fundamentum suggerit Capitulum: *Cum omnis utriusque sexûs. de Pœnitentiis & Remissionibus.* In hoc Innocentius III. præcipit, ut omnes Evcharistiam in Paschate accipiant, cum ad annos discretionis pervenerint. Verba ita  
fo-

sonant : *Omnis utriusque sexûs fidelis , postquam ad annos discretionis pervenerit , omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti , & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere suscipiens reverenter ad minus in anno in Pascha Eucharistiae Sacramentum : nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

<sup>2</sup> Et si autem nullus textus ullibi in jure , aut in Tridentino inveniat , qui expressè prohibeat Eucharistiam talibus incapacibus adhuc pueris dare : Lugo tamen *de Sacram. Euchar. disp. 13. sect. 4. n. 32.* asserit , videri , Tridentinum ista supponere , quando asserit , antiquos Patres probabile fundamentum *pro illius temporis ratione habuisse dandi Eucharistiam parvulis* : ergo tacitè innuit pro temporum diversitate illam consuetudinem judicatam fuisse minùs expedientem , & hinc modò prohibitam , quæ prohibitio vigente de facto consuetudine denegandi ejusmodi incapacibus pueris Eucharistiam vel maximè confirmatur.

<sup>3</sup> Quod concernit textum Capituli : *Cùm omnis utriusque sexûs citati , dubitant Authores , quid sub annis discretionis , quibus habitis annua Communio præcipitur , sit propriè intelligendum.* Nonnulli enim apud Viguecium annos discretionis dicunt esse annos pubertatis. Cùm autem plures pueri ante hoc tempus sufficientem usum rationis acquirant , ut hunc spiritualement à cæteris naturalibus cibis discernere abunde valeant , ideo hæc sententia communiter rejicitur.

Alii dicunt , annum duodecimum pro anno discretionis & obligante ad Communionem esse habendum , eò quòd pro hoc , non autem ante illum præcepta Ecclesiæ obligent : verùm cùm hoc suppositum falsum esse constet , etiam opinio illi innixa rejicienda erit. Cajetanus in præsent. *art. 9.* decimum ætatis pro anno discretionis determinat. Cæterùm hoc præcepto Ecclesiastico nullos ante septennium comprehendendos , licèt doli capaces existant , tradunt Joan. Sanchez *in select. disp. 58. num. 31.* Illung *de Euchar. n. 107.* & alii. Ratio esse potest , quia ante septen-

ptennium non obligantur Legibus Ecclesiasticis.

4 Quod pueros septennium completum numerantes cernit, communis sententia tenet, nullam in hoc puncto certam regulam præscribi posse, eò quòd nonnullis citius, aliis tardius rationis usus & discretio adveniant, consequenter non posse universaliter statui, omnes impleto septennio ad Communionem obligari. His præmissis.

5 Dico: Etiam si ejusmodi pueri discretionem eam habeant, ut hunc sacrum cibum ab alio naturali sufficienter discernere valeant, ante decimum tamen annum eosdem extra articulum mortis ad sumendam Eucharistiam non fore obligatos, nec parentes aut Parochos esse obligatos, ut illos admittant. Ita Lugo supra n. 33. Illung de Sacram. Euchar. n. 107. citans Suarezium, Tannerum. Probatur conclusio ex recepta consuetudine Ecclesiæ, quam vigere Lugo, atque Illung cum aliis testantur, Palao de Euchar. disp. unica. pu. 10. Emanuel Sà. Laym. lib. 5. Summa tract. 4. cap. 4. à n. 46. Bonacina de Euchar. disp. 4.

pu. 2. n. 7. adducens pro hac sententia Paludanum, Cajetanum, Emanuel Sà, Suarez, Coninck, Nugnum, Reginaldum, Azor, Gravium &c.

Prob. 2. Præcepta Ecclesiastica obligant secundum id, quod communiter evenit: ergo cum præceptum Communionis obliget eos, qui ad annos discretionis perveniunt, & ad hos communiter venire solent à decimo usque ad decimum quartum annum, præceptum hoc non obligabit ante decimum annum.

Confirmatur: Discretio hæc in eo consistit, quòd pueri sciant discernere hunc cibum ab aliis, ac revereri latentem in eodem Divinam Majestatem: atqui hæc duo communiter non adveniunt ante decimum annum: ergo ante hunc non dabitur requisita discretio, & obligatio communicandi, cum leges sint lætæ circa ea, quæ communiter eveniunt.

Confirm. Quam significationem, aut quam vim obligandi præcepta læta habeant, optimè interpretatur consuetudo & praxis, quibus illæ observantur: ergo

E e e

go

go si præceptum in cap. omnis utriusque sexûs per consuetudinem, & praxin ita explicatur, ut ante decimum annum tales pueri non obligentur ad Communionem, erit hæc obligatio & intentio dicti Capituli.

6 Dico 2. Qui sufficiente ad confitendum usu rationis sunt præditi, tales non hoc ipso statim ad sacram Communionem admittendos esse. Ita Suarez, Navarrus, Layman, Lugo. Probat. ad suscipiendam Evcharistiam perfectior usus rationis requiritur, quàm ad Confessionem: ergo licet aliquis habeat sufficientem ad confitendum rationis usum, non tamen eo ipso admittendus est ad S. Communionem. Prob. antec. ex una parte simpliciter necessaria est pœnitentia, non tamen Evcharistia: ex altera verò parte est Evcharistia nobilior, atque ad eam reverenter accipiendam requiritur, ut hunc spiritualem ab aliis carnalibus cibum bene distinguere possit: ergo non idem rationis usus ad utramque est sufficiens.

7 Oppones: Longè difficilior dispositio est necessaria ad fru-

ctum Sacramenti Pœnitentiæ referendum, quàm sit dispositio ad fructum Evcharistiæ reportandum: ergo usus rationis ad pœnitentiam sufficiens etiam sufficiet ad Evcharistiam. Prob. antec. ad fructum Evcharistiæ sufficit sola intentio illam accipiendi, ad fructum pœnitentiæ contritio, propositum &c. ergo &c. Resp. concesso antecedente: distinguo consequens: ergo idem usus rationis ad utrumque Sacramentum erit sufficiens, si habeatur ratio solius fructûs à suscipiente reportandi, conc. conseq. si etiam consideretur reverentia Divinæ Majestati in Evcharistia existenti debita, & exhibenda, negatur. Communis & quotidiana praxis nos docet, quòd pueri, postquam apti ad confitendum judicantur, imò etiam confessi fuerunt, tamen ad unum vel alterum annum jubentur exspectare, usque dum ad sacram Communionem admittantur.

8 Opponunt 2. Tales jam sciunt discernere hunc cibum spiritualem ab aliò naturali: ergo habent annos discretionis. Resp. trans. antec. dist. conseq. habent

bent annos requisitæ discretio-  
nis, nego. insufficientis: conc.  
conseq. cum pueri etiam ante  
annum septimum, quando Mis-  
sam audiunt, sanctam Hostiam,  
dum elevatur, adorant, utique  
eandem ab alio cibo merè natu-  
rali discernunt: ergo si hæc di-  
cretio sufficeret, jam tunc pos-  
sent communicare. Accedit,  
quòd ex tali dilatione major æ-  
stimatio Evcharistiæ in illis pro-  
curetur, nec non major tanti Sa-  
cramenti reverentia.

9 Dico 3. Probabilem tamen  
esse sententiam, asserentium, sa-  
cram Communionem permitti  
posse pueris etiam ante decimum  
ætatis annum, si illi jam tunc e-  
am discretionem, atque usum  
rationis habeant, & ita sufficien-  
ter circa hoc Mysterium sint in-  
structi, ut hoc Sacramentum  
cum ea reverentia possint susci-  
pere, cumque communiter de-  
cem annos nati illud suscipere  
valent: ita tenent, qui cum Jo-  
an. Sanchez, Paludano, D. An-  
tonino, & Palao apud Dianam  
*part. 3. tract. 6. resolut. 70.* defen-  
dunt omnes statim post usum ra-  
tionis obligari ad Communionem.  
Idem sentit Diana. Ex

his ita formatur argumentum:  
ab authoritate saltem, & ab ex-  
trinseco probabile est, quòd ta-  
les post usum rationis statim, si  
non sint obligati, saltem admit-  
ti ad sacram Communionem  
possint: ergo potest aliquis huic  
sententiæ se accommodare, &  
admittere post usum rationis ad  
S. Communionem ejusmodi pu-  
eros, si insuper sufficienter, ut  
hoc Sacramentum reverenter  
accipere possint, instructi ap-  
pareant.

Dico 4. Viaticum nequa-  
quam denegandum, sed etiam  
porrigendum esse in articulo  
mortis constitutis pueris, qui pec-  
care possunt: etiamsi antea Ev-  
christiam nunquam acceperint.  
Ita Suarez *disp. 70. sect. 5.* Laym.  
*tom. 2. Theolog. moral. tract. 4. de*  
*Sacram. Evchar. Lugo n. 37. cit.*  
& alii recentiores. Probat. Est  
præceptum Divinum, ut in pe-  
riculo, & articulo mortis Viati-  
cum accipiamus: ergo dabitur  
obligatio illud dandi ejusmodi  
pueris. Prob. conseq. nulla ad-  
est ratio excusans ab observatio-  
ne hujus Divini præcepti: ergo  
&c. Confirmatur: juxta com-  
munem danda illis erit extrema



unatio: ergo etiam capaces erunt ad Evcharistiam.

II Opponunt adversarii: ejusmodi pueri; ponuntur nondum habere requisitam discretionem, ut hunc cibum ab aliis possint discernere aliam enim etiam tempore Paschali extra morbum fuissent obligati: ergo non est illis dandi obligatio. Prob. consequ. quia hæc sufficiens discretio in illis non datur, ideo non datur obligatio iis dandi tempore Paschali: ergo ob hunc ipsum defectum non erit illis Viaticum dandum.

Confirm. Quamdiu hunc cibum non discernunt, sunt sicut infantes: atqui infantibus non est dandum Viaticum: ergo neque talibus pueris.

Confirm. 2. Si hunc cibum non discernunt, tunc indignè suscipientes non possunt peccare; sed nec mereri aliquid dignè communicando: ergo non dabitur obligatio dandi ejusmodi Viaticum.

Resp. dist. antec. Tales pueri nullam omnino habent discretionem, vi cuius hunc panem ab alio communi possint discernere: nego antec, non habent di-

cretionem requisitam, ut extra articulum, aut periculum mortis teneantur Evcharistiam accipere: conced. antec. & nego consequ. cum pueri obligentur aliquibus, antequam communicent, annis, & audiendo Missam, devotè adorent elevatam Hostiam, utique hunc panem aliquo modo discernunt ab alio merè naturali. Ecclesia autem majorem quandam discretionem, quam modò enumeratam exigit, ut ad Communionem sint obligati extra articulum mortis, eo ipso, quòd tales ad audiendam Missam, non tamen ad Communionem obligentur.

Item in cit. cap. *Omniis utriusque sexus* absolute præcipitur talibus pueris Confessio annua: sacra autem Communionem, ut reverenter accipiat; excipit quoque ab hac obligatione illos, quibus prudens Confessarius ex justis causis judicaverit expedire, ut sacram Communionem adhuc differant: ergo non illam tantum discretionem ad sacram Communionem, & hujus excipiendæ extra articulum mortis obligationem expetit, quæ ad Confessionis peragendæ obligationem sufficit. Ad

Ad primam confirmationem respondetur cum distinctione : quamdiu hunc cibum nullo modo discernunt , tamdiu sunt sicut infantes , conc. quamdiu perfectiori modo eum non discernunt, sunt sicut infantes: neg. antec. & conseq.

Ad 2. Confirmationem respondetur negando suppositum, quòd tales pueri hunc cibum non discernant , uti patet ex modò dictis.

12 Opponunt 2. Si puer aptus ad confitendum potest in periculo mortis, & debet accipere Viaticum, tunc habet sufficientem discretionem : ergo tenebitur etiam antea sacram Evcharistiam accipere. Prob. conseq. Ecclesia non potest talem eximere ab obligatione Divina, quæ omnibus, discretionem hujus cibi habentibus, Divina lege est imposita : ergo si habet illam discretionem, tenebitur communicare. Confirm. Ecclesia determinavit quidem tempus obligationis, & præcepti, scilicet Paschale, non tamen potuit determinare ætatem & prudentiam, in quibus detur talis obligatio :

ergo talis jam antea fuerat obligatus.

Confirm. 2. Tales pueri obligantur præcepto Ecclesiastico audiendi Missam diebùs Dominicis : ergo etiam accedendi ad S. Communionem Paschalem.

Pro solutione nota, aliud esse, quòd Ecclesia determinet tempus, quo incipit obligatio accipiendi Evcharistiam, & aliud esse, quòd determinet tempus, quo huic obligationi teneatur quis satisfacere. Christus itaque obligavit omnes fideles rationis capaces, ut accipiant Evcharistiam & hæc obligatio semper jam datur, quando adest usus rationis : nullum autem tempus determinavit Christus, quo huic obligationi teneamur satisfacere; sed hujus determinationem reliquit Ecclesiæ : ergo penes Ecclesiam residet, ejusmodi pueris determinare longius tempus ad satisfaciendum huic præcepto, relinquendo hujus assignationem judicio prudentis Confessarii.

Respondetur modò in forma: transm. antecedente neg. conseq. in hujus probatione neg. an-

tecedentis suppositum, quòd scilicet Ecclesia talem eximat ab obligatione præcepti Divini, siquidem tales pueri jam ante decennium sunt obligati ad Communionem, sed accipiendam primùm circa decennium. In exemplo: possum ego cuidam Principi quidpiam debere, Princeps autem potest mihi nullum tempus satisfaciendi huic solutiõni determinare, sed hujus determinationem relinquere suo Vicario. In talibus circumstantiis erit huic Vicario liberum prolongare, vel coarctare terminum solutionis, licet autem prolongatus terminus solutionis fuerit, ego tamen jam ante sum obligatus ad solutionem pro tempore per Vicarium determinato. Ex his patet etiam responsio ad subjunctas duas confirmationes.

- 13 Urgent: quando pueri habent usum rationis ad peccandum, vel tunc jam obligantur præcepto communicandi, vel non? hoc ultimum non potest dici, quia obligantur cæteris præceptis Ecclesiasticis: si priùs: ergo tenentur tunc jam communicare. Resp, quòd pueri determinatè obligentur ad sumendum

Viaticum in articulo mortis: indeterminate autem pro tempore ab Ecclesia vel à Confessario determinato extra periculum mortis, ita, ut ex hujus judicio ad unum, vel plures annos executio hujus obligationis differri possit.

Urgent: Ecclesia non potest<sup>14</sup> dispensare, ut habens sufficientem usum rationis ad peccandum, & confitendum, in periculo mortis ex judicio Confessarii arceatur à Viatico: ergo neque, ut arceatur talis à Communione Paschali. Resp, neg, conseq, disparitas est, quòd sumptionem Viatici in periculo mortis ipse Christus determinaverit, & nulla ratione liberum hoc reliquerit Ecclesiæ: tempus autem, quo extra periculum accipienda Eucharistia foret, liberæ determinationi Ecclesiæ assignandum reliquerit.

§. II.

**Resolvitur secundum**  
Quæsitum.

*An semifatuis, nec non energumenis, seu à demone possessis Paschalis Communio sit præbenda.*

Se-

15 **S**emifatui dicuntur, qui plenum rationis usum non habent. Solent isti esse in duplici classe; nonnulli enim illorum hunc cœlestem cibum à cæteris porfanis discernere, reverenter, atque ut sibi necessarium expostulare possunt, alii contra id non possunt.

16 Dico 1. Si adhibita diligentia constet, talem semifatuum non eo rationis usu esse præditum, ut hunc cœlestem à profano cibo discernere possit, eidem etiam tempore Paschali Evcharistiam non esse concedendam. Ita tradunt Possévinus *de Comm. c. 8. n. 32.* Laym. *l. 5. tract. 1. c. 4. quæst. 5. in fine.* Bonacina *disp. 4. de Sacram. Euchar. q. 6. p. 1. n. 7.* Henriquez *lib. 8. cap. 24.* Palaou *tract. 21. disp. unica. pu. 10. n. 8.*

Probat. Amentibus, licet aliquando usum rationis habuerint, juxta Vasquez, Henriquez, Ægidium, Suarez, Laym. Bonac. Palaou extra articulum, aut periculum mortis sacra Evcharistia non est præbenda: ergo neque talibus semifatuis. Prob. consequ. si hunc cibum cœlestem factâ diligentia non possunt distinguere à profano, tunc amenti-

bus sunt annumerandi: ergo si amentibus tempore Paschali denegatur Evcharistia, etiam his erit deneganda.

Quòd autem amentibus extra periculum mortis denegetur Evcharistia, probat Ecclesiæ consuetudo, amentibus in solo periculo mortis præbentis Evcharistiam, cum tanti Sacramenti reverentia expostulet, ut extra necessitatem extremam illud nulli concedatur, qui nulla actuali devotione se ad illius susceptionem præparare possit, 2. dō Sive nunquam, sive antea constanter amentes usum rationis habuerint, durante tamen amentia æquale periculum irreverentiæ in susceptione hujus Sacramenti habetur: ergo erit Communio Paschalis iisdem deneganda.

Dico 2. Si tales semifatui factâ diligentia possent spiritualem hunc cibum ab alio profano, distinguere, tempore Paschali ad Communionem erunt admittendi. Ita Authores supra citati. Prob. Tales videntur obstringi hoc præcepto: ergo erunt admittendi. Prob. antec. possunt peccare, & supponuntur

ha-

habere illius notitiam, ergo illo præcepto obstringuntur: licet autem tempore Paschali, cum præceptum obligat, illis Evcharistia sit concedenda, alio tamen tempore deneganda erit ob tanti Sacramenti reverentiam.

18 Dices: Ejusmodi fatuis similimi sunt pueri potentes peccare, & distinguere quocunque demum modo cœlestem à profano cibo: ergo etiam isti tempore Paschali ad Communionem sunt admittendi. Resp. disparitatem esse, quòd in semifatuis omnis spes perfectioris rationis usûs sit præcisa; consequenter isti semper essent excludendi: in pueris affulget spes perfectioris usûs, nec non melioris cum majore devotione ad hoc Sacramentum præparationis: ergo justè dilatio quædam circa pueros facta est.

Quod energumenos concernit, videndum, num usum rationis habeant nec ne? item an aliquo peccato mortali vel nullo teneantur? quod ipsum omne in mutis & surdis à nativitate attendendum erit.

19 Dico 1. Energumenis rationis usu privatis denegandam esse

tempore Paschali Evcharistiam. Ita communis. Prob. Tales sunt amentibus annumerandi: ergo idem de utrisque statuendum erit.

Dico 2. Si energumeni sint compotes, seclusò irreverentiæ periculò, eisdem Evcharistiâ tempore Paschali concedendâ esse, imò etiâ aliis temporibus. Ita D. Thomas *quest. 80. art. 9.* Cassian. *collat. 7. cap. 30.* Consil. Arausicanum *1. Can. 14.* Sotus *in 4. disp. 12. q. 1.* Suarez *disp. 29. sect. 2.* Vasquez *disp. 112. cap. 4.* Laym, *lib. 5. tract. 4. c. 4. q. 5.* Palao *n. 10. lib. cit.* Prob. Ejusmodi Evcharistiæ susceptio vel expellet dæmonem, vel in vexando frænabit, aut energumenum juvabit, ut cum patientia, & fructu quodam suum laborem sustineat.

Dico 3. Si ex editis signis, & nutibus eorum, qui surdi, & muti à nativitate fuerunt, colligi poterit, eosdem cœlestem hunc à cæteris profanis cibis sufficienter distinguere, istos tempore Paschali ad Communionem admittendos esse. Ita Abbas in *cap. cum apud. num. 6. de sponsal.* Laym, *l. 5. summe tract. 4. quest. 4.*  
Pa-

Palao n. 9. loc. cit. Prob. susceptio sacrae Eucharistiae talibus personis est maximè necessaria, ut gratia in iis augmentetur, & futura peccata evitentur: ergo iisdem non erit illa deneganda. Prob. conseq. Si tamen esset deneganda, ratio foret, quia non perfectè qualitatem hujus cibi discernunt, & agnoscunt, sed illum à profano aliqua tantùm ratione distinguunt: sed hæc ratio nulla est. Prob. min. non videtur Deus majorem quandam discretionem in talibus personis exigere, ne aliàs semper carendum illis sit hoc spirituali cibo.

22 Dices: Possè talem in mortali constitutum esse, & hoc aliis constare, saltem tunc illi denegandam Eucharistiam fore. Respond. Possè illum per signa ad dolorem de peccatis etiam supernaturalem disponi, & totaliter attrito profuturam Eucharistiam, quia ex attrito efficiet contritum.

§. III.

Resolvitur tertium  
quæsitum.

*An puero in periculo mortis dari possit Viaticum, si de illius capacitate dubitetur.*

Dico 1. stante tali dubio non 2 3 dari obligationem dandi tali puero Viaticum. Ita Lugo de Euchar. disp. 13. sect. 4. num 43. Prob. Quamdiu non constat, aliquem certa lege comprehendi, tamdiu non est illà obligatus: sed stante tali dubio non constat, illum tali lege esse comprehensum: ergo illà non obligatur. Prob. min. illa lege divinà tantùm comprehenduntur capaces doli, & rationis: ergo quamdiu dubitatur de capacitate pueri, tãdiu non constat, eundem tali lege comprehendi. antec. Prob. ex Tridentino.

Dico 2. Licèt non detur ob- 2 4 ligatio dandi Viaticum, hoc tamen possè concedi etiam stante dubio de capacitate doli. Ita docet Diana tom. 2. Resolut. moral. tract. 4. de Sacram. resol. 169. Lugo n. 4. loc. cit. Prob. stante tali dubio possunt haberi omnia requisita ad validam & fructuosam collationem Viatici, nec ipsa Ecclesiæ prohibitio obstat: ergo  
Fff &c.

&c. primum membrum constat; possunt enim dari status gratiæ: vel attritio, aut contritio, vel actualis Confessio: item intentio saltem habitualis, ac virtualis, volens sibi applicari omnia media ad salutem necessaria, vel utilia: sed hæc sunt omnia requisita: ergo &c. Probatur nunc etiam ultimum, quod scilicet Ecclesiæ prohibitio non obstet. prohibitio videtur fundari in consuetudine Ecclesiæ per Rubricas Ritualis Romani explicata à Paulo V. sed hæc non obstat. Prob. min. in istis Rubricis prohibitio dandi Viaticum explicatur eo modo, quo explicatur prohibitio in tali casu dandi extremam unctionem: ex altera parte non est major necessitas sacram unctionem accipiendi, quam Evcharistiam: ergo cum prohibitio dandi extremam unctionem ita explicetur, ut in tali casu possit dari saltem sub conditione puero, de cujus capacitate dubitatur, etiam poterit dari Evcharistia.

Confirmat. Respectu utriusque Sacramenti, Evcharistiæ, & Unctionis, prohibetur, & quidem respectu extremæ unctionis præ-

cepto Divino, respectu Evcharistiæ præcepto Ecclesiastico, ne hæc Sacramenta dentur incapacibus: ergo si non obstante hac prohibitione Rubricæ Ritualis Romani concedant, dandam stante tali dubio extremam unctionem puero, etiam id ipsum de Evcharistia tenendum.

Confirm. 2. Vi citati Ritualis Romani Pauli V. potest homini, de quo dubitatur, num adhuc vivat, aut num sit mortuus, dari extrema unctio: ergo etiam tali puero poterit dari, Prob. conseq. sicut est prohibitum puero incapaci usus rationis dare Evcharistiam, ita etiam est prohibitum dare mortuo extremam unctionem, & tamen licet dare illi, de quo dubitatur, num sit vivens, aut mortuus: ergo idem tali puero faciendum.

Objic. 1. Constat, dari prohibitionem dandi Evcharistiam incapacibus: ergo hæc prohibitio est in possessione: ergo stante dubio de capacitate doli non dabitur ab illa exemptio, quia in dubio melior est conditio possidentis. Resp. dist. antec. datur prohibitio, ne detur Evcharistia

ristia iis, qui non sunt doli capaces. conc. antec. datur prohibitio, ne detur Evcharistia nisi iis, qui sunt doli capaces, neg. antec. & transmissio primo antecedente neg. illatum; si enim duntaxat prohibeatur, ne detur illis, qui non sunt doli capaces, tunc prohibitio ad dandam aliquibus Evcharistiam solum exigit, ut de istorum incapacitate non constet: ergo dari poterit, quando de horum incapacitate non constat: atqui non constat de alicujus incapacitate, quando de capacitate illius dubitatur: ergo in tali casu potest dari Evcharistia.

Confirmatur: Qui dat Evcharistiam illi, quem non scit esse incapacem, non exercet actum dantis Evcharistiam incapaci: sed qui talem actum non exercet, non agit contra præceptum prohibens actum, dantis Evcharistiam incapaci: ergo qui dat Evcharistiam illi, quem non scit esse incapacem, non exercet actum dantis Evcharistiam incapaci: ergo non peccat contra hoc præceptum, quod solum prohibet actum dantis Evcharistiam incapaci: sed præ-

ptum volens, ne detur Evcharistia incapaci, solum videtur prohibere actum dantis Evcharistiam incapaci: ergo &c.

Confirm. 2. Est prohibitum, ne illegitimo conferantur ordines, & tamen exposito infantia tempore dantur ordines, licet de legitimitate talis expositi dubitetur: ergo idem potest hic fieri circa Evcharistiam. Probat. concl. ideo prius licet, quia tantum prohibetur, ne dentur ordines illi, de quo constat, quod sit illegitimus, & in dubio de exposito id non constat: sed etiam tantum prohibetur, ne detur Evcharistia illi, de quo constat, quod careat usu rationis: ergo etiam isti poterit in tali dubio dari.

Urgent 2. Si præceptum pro 26 hiberet, ne Evcharistia daretur nisi iis, qui sunt doli capaces, in dubio non posset puero, de cuius capacitate dubitatur dari: ergo nec in altero præcepto poterit dari. Prob. conseq. utrumque præceptum habet eundem sensum, & obligationem: ergo &c.

Resp. conc. antec. neg. conseq. in probatione nego antec.

Fff 2

Si



Si præceptum prohibet, ne detur Evcharistia nisi illis, qui sunt doli capaces, tunc positivè debet constare, quòd sit doli capax, ut illi Evcharistiam possim dare, eò quòd capacitas, ut conditio ad hoc expetatur: hoc autem non contingit, quando prohibetur, ne detur Evcharistia iis, qui non sunt doli capaces.

27 Urgent 2. Gratis dici, quòd Communio parvulis dari prohibetur nostro, quem volumus modo, & non altero, qui capacitatem doli exigit ut conditionem: ergo &c. Resp. neg. antec. & dico, id colligi ex verbis Ritualis Romani Pauli V. hoc etenim non dicit, quòd non detur nisi capacibus, sed solum, quòd non detur incapacibus, scilicet iis, qui propter ætatis imbecillitatem, habere nequeunt cognitionem, & gustum hujus Sacramenti.

28 Objic. 2. Qui priùs rationis usu carebat, tamdiu præsumitur illo carere, quamdiu non fuerit probatum contrarium: ergo etiam puer carens antea usu rationis, hoc tamdiu carere præsumendus est, quamdiu non fuerit probatum contrarium, aut quam-

diu nullam aliam præsumptionem pro se habuerit; atqui stante dubio contrarium non fuit probatum: ergo &c. Respon. transmissio toto enthymemate nego suppositum, quòd, ut Evcharistia puero possit dari, necesse sit, ut constet, illum esse capacem usûs rationis, quo antea caruit, cum sufficiat, quòd non constet, illum esse doli incapacem: atqui, stante dubio de hac incapacitate id non constat: ergo &c.

Objic. 3. Quando constat<sup>29</sup> de quadam lege, dubitatur autem, num aliquis ratione necessitatis, aut aliam ob causam sit exemptus, ad exemptionem non sufficit merum dubium, sed positiva debet adesse ratio, eò quòd lex sit in possessione: ergo cum prohibitio, ne Evcharistia detur doli incapacibus, sit certa, ut ab hac censeatur quis exemptus, debet haberi positiva ratio de capacitate doli, nec sufficiet dubium. Resp. conc. antec. dist. conseq. debet haberi positiva ratio de capacitate, si lex ista vellet, ut non detur Evcharistia nisi iis, qui sunt doli capaces, conc. conseq. si hoc non velit, uti proba-

bavimus, neg. conseq. hoc enim posteriore supposito nil agitur contra talem legem.

30 Objic. 4. Si danda foret pueris, licet dubitetur de capacitate doli illorum, ratio foret præceptum Divinum volens, ut in periculo mortis accipiatur Viaticum: præceptum autem istud non comprehendit tales pueros, ergo illis Evcharistia non erit danda. Prob. min. præceptum volens, ut jejunet, qui vigesimum primum annum implevit, non obligat eos, qui dubitant, num impleverint illum annum; ergo etiam præceptum sumendi Viaticum, vel dandi capacibus usus rationis, & doli non obligat illos, de quibus dubitatur, num sint capaces doli, quia in utroque casu possessio datur pro libertate. Respond. conc. maj. neg. min. in hujus probatione conc. antec. neg. conseq. disparitas est, quòd lex præcipiens Viaticum in periculo mortis, non exigat tanquam conditionem usum rationis, & doli capacitatem, sed solùm, uti probavimus, negationem scientiæ de incapacitate, seu ut non constet talem esse incapacem doli. Lex autem esurialis exigit

ad sui obligationem, ut quis sciatur se implèsse vigesimum primum annum: ergo cum etiam stante dubio de capacitate pueri jam detur conditio, hoc est negatio scientiæ de capacitate doli, etiam stante dubio dabitur hæc obligatio.

Objic. 5. Utì prohibetur dare Evcharistiam indigno, seu in peccato mortali constituto, ita etiam est prohibitum dare Viaticum incapaci rationis: ergo sicut in dubio, num aliquis sit in mortali, talis non potest accipere Evcharistiam, nec sufficit, quòd ipsi non constet se esse in mortali, ita nec in dubio, utrum sit capax, poterit dari Viaticum, nec sufficit, quòd non constet esse incapacem doli. Resp. dist. antec. uti unum prohibetur, ita prohibetur & alterum, ita tamen, ut immunitas à peccato & incapacitas usus rationis diversimodè ab ambobus præceptis exigatur, conc. antec. ita, ut eodem modo ab utroque hoc præcepto prædictæ incapacitatis usus rationis, & immunitas à peccato exigatur, neg. antec. & conseq. præceptum prohibens ne quis indignè accedat, prohibet, ne

quis positivè indignè accedat : sed qui dubitat de statu gratiæ , & non confitetur , non accedit positivè dignus : ergo talis non potest accedere. Probat. min. hæc positiva dignitas à Christo expetita , est in tali casu Confessio sacramentalis : ergo dubitans de statu gratiæ , & non confitens , non accedit positivè dignus. Probat. Apostolus 1. ad Corinth. 11. dicit : *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat* : quæ verba Ecclesia intelligit de probatione per Confessionem , præscripta verò fuerat hæc mediante Confessione Sacramentali procurata dignitas , ut cum majore reverentia , & cum majore certitudine obtinendi fructûs sacramentalis Evcharistia sumeretur. Cùm autem nihil simile quid de lege , Viatici concessionem permittente , habeatur , ideo ab uno ad alterum præceptum non potest fieri argumentum.

<sup>32</sup> Objic. 6. Si Viaticum in tali dubio de capacitate subjecti posset concedi , ratio foret , quia etiam reliqua Sacramenta v. g. extrema unctio in dubio conceditur : sed non est paritas inter Evcharistiam & cætera Sacra-

menta : ergo Viaticum non poterit dari in dubio de capacitate subjecti. Probat. min. in aliis Sacramentis non est tanta obligatio procurandi , ne Sacramentum careat suo effectu , quanta est in Evcharistia : ergo non est paritas. Probat. min. extrema unctio etiam datur in dubio , an quis sit mortuus , aut vivus , quod tamen non licet in Viatico : ergo non est tanta obligatio in reliquis Sacramentis ad procurandos eorum effectus , quanta est in Evcharistia. Idem magis patet in Baptismo & absolutione.

Resp. tranmissiâ maj. neg. min. nam in quolibet Sacramento datur obligatio procurandi effectum , si fieri hoc possit : cùm ergo in quibusdam casibus non possit semper iste effectus certò procurari , & ex altera parte bonum ipsorum hominum , in quorum utilitatem sunt instituta Sacramenta , subinde exigat applicare iisdem Sacramenta , ideo in talibus circumstantiis saltem sub conditione erit conferendum Sacramentum. quòd si ob defectum conditionis non fiat , Sacramentum hoc tamen non dabitur sine suo effectu , eò ipso , quòd

quòd ob defectum conditionis, sub qua voluit facere Sacerdos Sacramentum, omnino non datum fuerit Sacramentum: ergo in talibus casibus bonum suscipientis, quod periclitatur, exigit collationem Sacramenti.

33 Objic. 7. Sicuti ad sumendam licitè Evcharistiam requiritur capacitas doli in suscipiente, ita ad hoc etiam exigitur jejunium naturale à media nocte, in quantum nihil debuit fuisse sumptum à media nocte: ergo sicut in dubio, num aliquis sit jejunus à media nocte, vel num id, quod scit se accepisse, acceperit ante vel post mediam noctem, talis non potest communicare, ita nec poterit Viaticum accipere, de quo dubitatur, num sit capax doli, & sufficientis usus rationis. Resp. 1. conc. antec. neg. conseq. vel potiùs suppositum illius, quòd talis de jejunio suo naturali dubius, non possit sumere S. Evcharistiam,

Quod modò diximus, sentit Layman in *Theol. moral.* l. 1. tract. 11. cap. 8. §. 4. num. 36. & alii apud Dianam *part. 3. tract. 4. de Sacramentis. Resolut. 29.* Resp. 2. Licet hoc ponatur esse verum circa jejunium naturale, non tamen erit paritas cum capacitate doli respectu accipientis Viaticum. Ratio est, quòd supposita veritate principii adversariorum, jejunium naturale à media nocte exigatur ut conditio quædam positiva, de cujus existentia debet haberi notitia: simile quid non verificatur de altero præcepto respectu Viatici: ergo hoc in dubio de conditione merè negativa poterit conferri, non autem in dubio de existentia conditionis positivæ, cum hujus sit necessaria notitia: in altera verò sufficiat, quòd non constet, illam conditionem deesse.



Ca-